est secunda Philistinorum civitas Acharon quondam grandis, in qua magnum erat templum Baal sive Beelzebub, qui dicebatur Deus Acharon, unde Ochozias rex Israel cum cecidisset per cancellos coenaculi sui, misit ad consulendum Deum Acharon, Beelzebub, ut habetur 4. Reg. 1. Et Judaei dominum Jesum infamabant, quod haberet pactum cum eodem daemone, dicentes: in Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia, Luc. XI. Haec civitas fuit data tribui Juda, sed numquam possessa, quia non praevalebant contra ejus habitatores gigantes. Ulterius descendendo per maris littus venitur ad Azotum, quae tertia est Philistinorum civitas, decreta quidem per Josuam tribui Judae, sed non tenta, quia habitatores pristinos nequivit expellere. In hac civitate erat templum Dagon magnum, in quod tulerunt Philistaei arcam Dei Israel, cum eam cepissent, sed Dagon idolum corruit et populus percussus plaga magna fuit, ut patet 1. Reg. V. De hac civitate descendendo super maris littus venitur ad quartam Philistinorum urbem, ad Ascalonem, de qua Jeronymus de distantiis locorum dicit: Ascalon urbs nobilis Palaestinae, quae antiquitus fuit una de quinque satrapis Philistinorum, separata tribui Juda per sortem, tamen non retenta (b) ab ea, quia habitatores ejus superare non potuit. Haec civitas novissimo tempore magnae fortitudinis fuit. Nam Saladinus rex Aegypti, Christianorum stimulus, vir utique bellicosissimus, cum passim Christianos devinceret et de locis ejiceret jamque regem Jerusalem Guidonem et magistrum templi cum nobilibus captivasset, applicuit Ascalonem cum ingenti exercitu oppugnans civitatem, sed nihil profecit. Solvit ergo obsidionem et ad Jerusalem civitatem sanctam ascendit eamque cepit, ut dictum est P. 1. Fol. 268. Capta autem Jerosolyma iterum descendit et Ascalonem obsedit, nec eam capere potuit nisi hac conditione, si regem Jerusalem et magistrum templi cum eorum nobilibus liberos abire permitteret, se sponte civitatem tradere vellent, quod promisit et tenuit, sicque Ascalonem accepit.

Ende

Anfang

De hac civitate consequenter descendendo per littus maris venitur ad quintam civitatem Philistinorum, quae dicitur Gaza, vel Gazara, ad quam et nos ipsi in hac via festinavimus descendere, quatuor iam dictas civitates derelinquentes ad partem

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;